

sæpe admonui, distinguere oportet propriam suspensionem, ut est censura distincta ab excommunicatione, ab illa, quæ in ipsamet excommunicatione includitur. Hoc posteriori modo certum est, hujusmodi simoniacum esse suspensum ab omni officio, beneficio et Ordine, quia excommunicatus est, saltem post Paulum II, et Martinum V. Et hac ratione etiam est verum, simoniacum fieri irregularem, si celebret non absolutus ab hac excommunicatione. At vero loquendo de speciali censura suspensionis, ut hic loquimur, in primis contra conferentem simoniace hujusmodi beneficium nullam reperio suspensionem ipso jure impositam. Et quidem si sit occultus simoniacus, omnes concedunt; nam licet dicant, illum esse suspensum quoad se, non tamen intelligunt de propria censura suspensionis, sed de impedimento, quod secum affert quodlibet peccatum mortale. Unde fit, ut necessario debeat id intelligi de suspensione a ministerio Ordinum, non a collatione beneficiorum, quia peccatum mortale non impedit, quominus absque novo peccato possit collatio beneficii fieri, sicut et alii actus jurisdictionis, maxime quando peccatum est occultum, ex quo nullum scandalum potest sequi, ut alibi latius dixi. Quando vero tale peccatum simoniace publicum est, potest esse nonnullum dubium propter communem sententiam Doctorum; nihilominus tamen etiam tunc non invenio hanc censuram latam aliquo jure. Aut enim dicitur hic simoniacus publicus manere ipso jure suspensus, solum quia peccatum publicum est, et hoc non; supra enim ostendimus, non omnem clericum publicum peccatorem esse ipso jure suspensum; vel quia in tali specie, seu genere peccati publicus peccator est, et de hoc rursus interrogo, an intelligatur specialiter de tali peccato simoniace commisso in collatione beneficii; et hoc etiam nulla specialis constitutio talem penam ferens circa hoc delictum invenitur, aut a dictis auctoribus citatur. An vero intelligatur de quovis peccato simoniace publico; et ad hoc, solum afferuntur illa jura, quæ de concubinariis publicis supra adducta sunt, præsertim cap. Præter, § Verum, 32, ubi dicitur, hos non esse admittendos ad Ecclesiastica ministeria; quod potius significat per Ecclesiæ Prælatos esse suspendendos, quam ipso jure esse suspensos. Itaque de his quoad hanc penam idem sentiendum est, quod de publicis concubinariis. Unde fit, multo certius

esse hos non manere suspensos a collatione beneficiorum; nam si quæ suspensio contrahitur propter hæc peccata graviora publica, solum est ab usu Ordinis, et sacris ministeriis, ut ex prædictis juribus constat.

44. *Suscipiens per simoniam beneficium non est suspensus ab officio.* — Ex quibus, idem dicendum est de suscipiente beneficium per simoniam, quantum ad suspensionem ab Ordine; nam si crimen sit occultum, omnes concedunt non manere suspensum ab Ordine, ut patet ex D. Thom. supra; Angelo, verb. *Simonia*, 6; Sylvestro, verb. *Suspensio*, q. 7. Quamquam dicant, tunc manere suspensum quoad se; quod aliqui ita declarant, ut si ante actam pœnitentiam celebret, maneat irregularis; post peractam vero pœnitentiam celebrare possit absque alia dispensatione, et absolute; verumtamen illud prius nullo jure probant magis de hoc vitio, quam de aliis supra tractatis. Similiter si hoc crimen sit publicum, dicunt ita manere clericum suspensum ab Ordine, ut etiam post peractam pœnitentiam sine dispensatione celebrare non possit. Verum de hoc etiam supra ostendimus non probari ex illis juribus, quæ communia sunt huic vitio cum aliis. Quæ vero de hoc vitio specialiter citantur, minus probant, qualia sunt cap. 4 et 2, 1, quæst. 1, ubi solum dicitur, *hunc corripendum esse, et a Sanctæ Ecclesiæ liminibus submovendum, et digno anathematis vinculo percutiendum, et si perseverans fuerit, perpetua damnatione mulctandum*; quæ omnia nec suspensionem propriam continent, nec penam latam, sed ferendam. Et similia sunt multa sub tit. de *Simonia*, et 1, quæst. 1.

45. *An sit suspensus a beneficio, quod sic acquirit.* — Quantum vero ad suspensionem a beneficio, sermo esse potest vel de beneficio per simoniam comparato, vel de aliis, quæ prius legitime habebantur. Quantum ad primum, dicendum est, illum non proprie manere suspensum a tali beneficio, sed omnino non acquirere tale beneficium, quia collatio seu provisio ejus omnino nulla fuit, juxta Extravagant. Pauli II, et decretum Martini V, supra citata. Ex quo a fortiori fit, ut hic simoniacus suos non faciat fructus talis beneficii, sed eos in conscientia et sub *animæ suæ periculo*, ut ibidem dicitur, restituere teneatur. Ubi est obiter advertendum cum Cajetano in Summa, verb. *Excommunicatio*, cap. 72, hoc non solum procedere in beneficiis proprie dictis, quæ conferunt jus ad proventus ra-

tionem officii; sed etiam in aliis prælationibus spiritualibus seu Ecclesiasticis, quæ nullum habent beneficium adjunctum, ut sunt prælationes in religionibus; nam etiam qui ad hæc eligitur vel illa suscipit per simoniam, manet non solum suspensus a tali officio, sed omnino carens illo; nam omnis hujusmodi electio et confirmatio irrita esse declaratur in dictis decretis. Quod adeo verum est, ut etiamsi per ignorantiam suscipientis beneficium, et bona fide ex parte ejus, collatio simoniace facta sit, retineri beneficium non possit, juxta sacros canones, ut dicitur in cap. Sicut tuis, de *Simonia*, et declaratur ac limitatur, nisi receptor beneficii non solum non consenserit, sed etiam prius expresse contradixerit. De quo latius alibi, nam hoc ad censuram suspensionis non spectat.

46. *An maneat suspensus a beneficiis antea habitis.* — De suspensione vero ab aliis beneficiis, licet Sylvest., Angelus et alii dicant, hunc simoniacum in susceptione unius beneficii manere suspensum ab omnibus aliis beneficiis, quæ legitime possidebat, nullo tamen jure id probant sufficienter, et ideo oppositum credo verius, seclusa excommunicatione. Afferunt c. De simoniaco, de *Simonia*, ubi neque est sermo de simonia commissa in susceptione beneficii, sed in susceptione Ordinis, neque etiam fit mentio de suspensione aliqua jure lata. Item citatur cap. Præsentium, 4, quæst. 5, ubi etiam est sermo de simonia in ordinatione commissa et de pœna ejus, et ideo non fertur suspensio ab omnibus Ordinibus, sed tantum ab Ordine simoniace suscepto; unde nec proportionale argumentum inde sumi potest. Cum ergo nulla censura sit admittenda ipso jure, nisi in eo sit satis expressa, fit, ut hæc sine alia probatione non sit a nobis admittenda. Et inde a fortiori sequitur, ex vi hujus delicti non manere aliquem inhabilem ad alia beneficia postea recipienda, nisi ratione excommunicationis, et ideo si hæc sit ablata per absolutionem, absque alia dispensatione poterit quis novum beneficium obtinere.

Alii casus breviter explicantur.

47. *Suspensio contra juramentum emittentes de tenendo schismate, cap. 1 de Schismate.* — Quinta suspensio sumitur ex cap. 1 de Schismaticis, ubi qui juramentum præbent sponte de tenendo schismate, a sacris Ordinibus et dignitate suspenduntur. Et quia de hoc textu

dixi plura supra tractando de excommunicatione, hic solum expendo, ad incurrendam hanc suspensionem non satis esse tenere schisma, nisi de hoc juramentum præstetur, et non quomodocumque, sed sponte, id est, absque timore vel ignorantia, ut ex prædicto textu constat.

48. *Casus de clerico in duello pugnante rejicitur.* — Sextus casus adjungi posset ex Sylvestro, Angelo, Tabiena et aliis, verbo *Suspensio*, de clerico alium ad duellum provocante, vel duellum ab alio oblatum acceptante, quem dicunt ipso jure manere suspensum, ex cap. 4 de Clericis pugnans in duello. Verumtamen, ut recte advertit Navarrus, cap. 27, num. 156, in eo textu non dicitur, hunc esse suspensum ipso jure, sed de rigore juris merito esse deponendum; solum ergo designatur pœna per judicem imponenda. Imo additur, Episcopum posse cum tali pœna misericorditer dispensare, dummodo ex ipso duello homicidium vel membrorum diminutio non fuerit subsecuta; nam tunc jam oritur irregularitas, in qua solus Papa potest dispensare. Unde intelligitur, talem depositionem non esse imponendam propter solam provocationem vel acceptationem duelli, nisi usque ad realem pugnam progressum sit; hoc enim videtur in textu supponi, cum dicitur: *Duellum susceperit, sive victor, sive victus fuerit.* Imo etiam post pugnam illa depositio, de qua ibi est sermo, non videtur proprie et rigorose, sed pro suspensione accipi, quia in rigorosa depositione nunquam potest Episcopus dispensare, cum Papa ipse raro dispenset. Denique hæc procedunt juxta illud jus antiquum, et de propria suspensione, ut ab excommunicatione distinguitur. Nam juxta jus novum Concilii Tridentini, sess. 25, c. 19 de Reform., hujusmodi clericus pugnans in duello excommunicatus manet ipso jure, eaque ratione ab officio et beneficio suspensus.

49. *Alius casus de raptoribus rejicitur.* — Tandem addi hic potest casus alius ex Concilio Tridentino, sess. 24, c. 6 de Reformat. matrimon., ubi cum pœna excommunicationis, et aliæ contra raptos ferantur in hæc verba: *Raptor ac omnes illi auxilium, consilium, et favorem præbentes sint ipso jure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces*; postea subjungitur: *Et si clerici fuerint, de proprio gradu decident.* Quæ verba et depositionem et suspensionem significare possunt. Et dubium est, an particula illa, *ipso jure*, construenda sit cum sola

dictione seu pœna immediata, scilicet excommunicationis, an cum omnibus aliis pœnis. Sed quidquid hoc sit quoad infamiam et incapacitatem, de quibus ibi, quoad suspensionem existimo esse ipso jure, quia verba illa, *decidant a proprio gradu*, sumpta videntur ex c. Eos, 36, q. 2, et ibi ferendam pœnam significant, ut constat ex c. de Puellis, eadem causa et quæstione.

SECTIO V.

Quas suspensiones incurrant ipso jure Episcopi et Ecclesiarum capitula.

1. *Prima suspensio.*— Quoniam generalibus suspensionibus Episcopi non comprehenduntur, ideo breviter annotare oportet, suspensiones illas, quæ vel specialiter in illos solos vel in eos simul cum aliis, facta eorum speciali mentione, latæ sunt. Prima causa suspensionis Episcopalis est illicita Ordinum collatio, sub quo genere plures comprehenduntur species: una est de simoniaca collatione, de qua in sectione præcedente diximus propter connexionem materiæ; nam per se huc spectabat. Quamvis interdum extendatur ad Prælatos inferiores, minores Ordines simoniace conferentes.

2. *Secunda suspensio ob illicitam Ordinum collationem.*— Ergo illo casu omisso, suspenditur Episcopus, quoties ordinatus propter malam promotionem suspenditur. Sic suspenduntur ipso jure Episcopi, qui ordinant ante tempora seu ante legitimam ætatem, et qui ordinant non suos sine licentia proprii, vel etiam qui ordinant indignum seu irregularem, aut illegitimum, aut eum, qui publicam pœnitentiam egit, vel denique qui ordinant illiteratum, ut addunt Sylvester et alii. Quæ omnia ex jure antiquo colligi solent. Primum ex cap. ultim. seu Nullus, de Temp. ordin., in 6, ubi per unum annum suspenditur Episcopus a collatione clericalis tonsuræ duntaxat, si infanti conferre præsumat clericalem tonsuram, et additur limitatio: *Nisi forte religionem intraret*. Quæ exceptio videtur involvere repugnantiam, quia infantes in præsentia materia intelligi debent, qui septimum saltem ætatis annum non attigerunt, quos in ea ætate repugnat religionem intrare. Dicendum vero est olim solitum fuisse hujusmodi infantes etiam ante illam ætatem religioni a parentibus offerri seu dicari, et hoc in eo textu significari, maxime si ab illa ætate recipiebant religionis habitum, quamvis non statim, nec usque ad convenientem ætatem pro-

fessionem emitterent. Tunc enim in favorem religionis voluit Pontifex, ut in quacumque ætate habitum religionis suscipere, posset eis saltem prima tonsura conferri. Excepto ergo illo casu suspenditur Episcopus infanti conferens primam tonsuram. Idemque ibidem statuitur de conjugatis, cum duplici limitatione, nisi religionem intraverint, vel statuunt ad sacros Ordines promoveri, eo modo, quo secundum canones fieri potest. Idem statuitur ibi de illiteratis absque ulla exceptione. Itaque non permittit jus illud etiam primam tonsuram conferri homini prorsus illiterato, quanquam cum proportionem hoc intelligendum sit juxta illius Ordinis seu initi Ordinum exigentiam, servata constitutione Concilii Tridentini, sess. 23, cap. 4 de Reformat. Denique eadem suspensio extenditur ibidem ad Episcopum sic ordinantem hominem diocesis alienæ absque sui superioris licentia. Quæ omnia et species ac duratio suspensionis satis clara sunt ibi.

3. *An suspensio dicti cap. ultim. extendatur ad collationem aliorum Ordinum cum similibus defectibus.*— Solum dubitari potest, an suspensio illa extendenda sit cum proportionem ad collationem cujuscumque Ordinis factam personæ habenti proportionalem defectum. Nam Sylvester et alii Summistæ, ex hoc textu colligunt, manere suspensum Episcopum conferentem quemlibet Ordinem habenti aliquod ex dictis quatuor impedimentis, scilicet defectum ætatis, litteraturæ, vel quia est non subditus, vel conjugatus. Et idem sentit D. Antonius, 3 part., tit. 28, cap. 4, et indicat Soto, in 4, d. 25, quæst. 1, art. 2, circa finem, et videtur verisimile ex æquali vel etiam majori ratione; plus enim peccatur servata proportionem conferendo superiorem Ordinem indigno vel incapaci ejus, quam inferiorem. Unde cum in illo textu solum imponatur in pœnam suspensio collationis primæ tonsuræ, juxta prædictam sententiam erit hoc proportionaliter intelligendum, ut pro unoquoque Ordine sic male collato intelligatur ferri suspensio ab annua collatione illius Ordinis, ut in eo, in quo quis peccaverit, puniatur, quæ est ratio illius textus. Sed objici potest, quia videtur hæc nimia extensio et amplificatio legis pœnalis, in qua, ut sæpe dixi, argumentum a simili, imo et a majori seu a fortiori ratione validum non est. Et præsertim est nimia licentia, augere pœnam taxatam in lege, propterea quod delictum sit majus, cum proportionem ad delictum, cum

hoc totum pendeat ex voluntate legislatoris, de qua non constat ex sola illa proportionem a nobis considerata. Eo vel maxime quod in collatione primæ tonsuræ, laici transferuntur ad ordinem clericalem; unde est veluti janua ad clerum (ut sic dicam), et ideo in hoc ingressu seu assumptione laicorum ad clericatum voluit Pontifex specialem cautionem adhibere. Quæ ratio non invenitur in quacumque alia ordinatione, per quam ille, qui jam clericus est, ad superiorem Ordinem in illo statu ascendit; non ergo licet pœnam illius legis ad alios Ordines extendere.

4. *Ex aliis juribus colligitur suspensio ob collationem minorum alieno.*— Nihilominus tamen addendum est, in aliis juribus esse latam pœnam suspensionis unius anni contra eos Episcopos, qui male promovent clericos ad quoscumque Ordines. Nam in cap. Eos qui, de Temp. ordin., in 6, suspenduntur Episcopi, qui ordinant clericos alienæ parochiæ, nisi de suorum superiorum licentia. Fertur autem cum hac limitatione, *si scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito præsumperint ordinare*. Itaque si id faciant bonæ fide, non incurrunt, imo etiamsi ex ignorantia vel negligentia culpabili decipi se sinant, nisi ignorantia affectata sit, ut in textu dicitur; qualis erit, si probabiliter dubitans licentiam esse subreptitiam, nullam vult facere diligentiam. Quod vero additur, *vel alio figmento quæsito*, explicatio vel amplificatio esse videtur præcedentis particulæ *scienter*. Duobus enim modis potest Episcopus ordinare clericum, quem scit esse alterius diocesis: uno modo sine honesto titulo etiam apparente, ductus affectu, et utens (ut sic dicam) absoluta potestate, et tunc clarum est, maxime incurrere hanc censuram. Alio modo potest id facere sub aliquo titulo, v. gr., quia urget aliqua necessitas, nec potest tam cito proprius Episcopus adiri, et præsumitur, sine alio majori fundamento, quod ratum habeat. In quo casu licet ignorantia facti non intercedat quantum ad hoc quod talis persona est alienæ jurisdictionis, tamen intervenit quodammodo ignorantia juris, quia eo non obstante, existimatur in eo casu licitum esse illum ordinare; vel etiam potest illa dici ignorantia facti, quantum ad hoc quod creditur esse ibi licentia præsumpta vel tacita. Hoc ergo genus ignorantie vel tituli colorati non sufficit ad excusandum. Quod intelligendum est, quando mala fides intercedit, vel ignorantia affectata, quæ illi æquiva-

xxiii bis.

leat. Hoc enim significat fictio, seu figmentum in re morali. Est autem illa suspensio solum per annum; tamen est a collatione omnium Ordinum: hoc enim significat, ut supra vidimus, illa locutio absoluta, *a collatione Ordinum*.

5. *Ob primæ tonsuræ collationem non incurritur censura hæc, quæ ab omni Ordine suspendit.*— Incurriturque hæc pœna propter collationem cujuscumque Ordinis ultra primam tonsuram; nam propter hanc non incurritur, ut constat, tum ex alio textu supra tractato in c. Nullus; tum etiam quia hic suspenditur, qui ordinaverit clericum; collatio autem primæ tonsuræ neque est ordinatio simpliciter, neque ordinatio clerici, sed laici; collatio autem cujuscumque alterius Ordinis etiam minoris supponit clericum, saltem per primam tonsuram; et est ordinatio simpliciter, et ideo sufficit ad hanc pœnam incurrendam. Nec mirum videri debet, quod propter unum Ordinem sic male collatum inferatur suspensio a collatione omnium Ordinum, eo quod videatur talis pœna excedere culpam, quia licet secundum quamdam extensionem excedat, tamen secundum meritum et proportionem non excedit. Estque hoc usitatum in jure, ut patet ex cap. Vel non est compos, de Temp. ord., cum similibus. Atque ita exponit hanc pœnam Glossa in dict. cap. Eos qui. Non desunt tamen, qui putent illam pœnam et indefinitam locutionem determinandam esse ad materiam, in qua peccatur, id est, ad Ordines sic male collatos, arg. cap. Si compromissarius, de Elect. Quod sentit Dominicus ibi, quem alii sequuntur. Mihi tamen prior expositio planior videtur, et conformior his, quæ in superioribus de hujusmodi suspensionibus generatim diximus. Ad hanc etiam pœnam confirmandam citari solet cap. Si quis, d. 58, ubi punitur Episcopus, qui monachum ordinat sine licentia sui Prælati; tamen ibi non imponitur pœna suspensionis, sed cujusdam excommunicationis his verbis: *Episcopus, qui hoc fecerit, a cæterorum communione se junctus, suæ plebis communionem contentus sit*. Quæ pœna nunc non est usitata.

6. At vero propter alios tres defectus, scilicet litteraturæ, ætatis et conjugii, non invenio suspensionem ipso jure latam in eum, qui Ordines sic confert, loquendo de jure communi. Nam in cap. 2 de Temp. ordin., suspendendus dicitur Episcopus, qui extra tempora ab Ecclesia statuta Ordines confert; non vero fertur suspensio ipso jure. Et similiter in cap.

Vel non est compos, eodem titulo, decernitur suspensio ferenda, non lata, in eum, qui ordinat aliquem ante legitimam aetatem. Atque eadem lata fuerat in Concilio Arelat. III, c. 1, juncto 3, ubi eadem poena extenditur ad eum, qui ordinat irregularem, bigamum, viduae maritum, aut publicum poenitentem. In Concilio Aurelianensi III, c. 6, solum sex mensium suspensio pro hujusmodi delicto imponi praecipiebatur. Et in cap. 7, quod refertur d. 74, cap. 4, in Episcopum ordinantem invitum et reluctantem annua suspensio fertur his verbis: *Annuali poenitentiae subditus, Missas facere non praesumat*. Ex quibus suspensionem ipso jure latam colligunt Sylvest., verb. *Ord.*, 3, quaest. 40; Maiol., lib. 4 de Irregul., c. 40. Qui etiam citat cap. Honoratus, et cap. Ubi, dist. 74. Sed in priori reprehenditur vitium, nihil tamen de poena agitur; in alio vero potius Siricius supponit contrarium, et comminatur suspensionem, si iterum fiat delictum. Denique Pius II, qui male promotos suspendit, de ordinatoribus nihil dixit. Et praesertim de ordinatoribus illiteratos vel conjugatos nihil invenio specialiter sancitum. At vero Concilium Tridentinum, sess. 44, c. 2, specialiter suspendit per annum ab exercitio Pontificalium Episcopos titulares, qui ad aliquem Ordinem vel primam tonsuram promovent quempiam, absque ejus proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, praetextu cujusvis familiaritatis, privilegii, etc., et in sess. 23, cap. 8 de Reformat., extendit sermonem ad omnes Episcopos, eosque suspendit a collatione Ordinum per annum, si non subditum ordinent, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Generalius autem et rigorosius Sixtus V in hujusmodi ordinantes suspensionem tulit, sed revocata est per Clementem VIII, ut supra notavimus.

In Episcopos prave utentes pastoralis munere.

7. *Primus casus ex cap. ult., dist. 48, et cap. unic., 40, quaest. 3.* — Secundo principaliter feruntur plures suspensiones in jure in Episcopos propter varios defectus, vel in electionibus, vel in usu jurisdictionis, vel in administratione rerum Ecclesiae, vel in aliis rebus ad pastorale munus pertinentibus. Primus ergo casus in hoc ordine sumi solet ab Angelo et aliis Summistis ex cap. ult., d. 48, ubi praecipitur Episcopo, ut dum provinciale Concilium cogitur, infra sex menses post

celebratum Concilium convocet totam diocesim, ut ei promulgentur, quae in Concilio statuta fuerint. Sed ibi non imponitur poena suspensionis, sed cujusdam excommunicationis duorum mensium; tamen Glossa, quoniam illa temporis determinatio excommunicationi repugnat, per excommunicationem, suspensionem intelligit. Et similis textus habetur in cap. unico, 40, quaest. 3. Quae jura sunt Concilii Toletani XVI, c. 7, in collectione Loaysae, ubi haec poena vocatur excommunicatio duorum mensium. Sed quaecumque illa fuerit, jam non est in usu etiam in Hispania, ubi Concilium illud coactum est; imo forte nunquam fuit in Ecclesia universaliter recepta.

8. *Secundus casus cap. Provida, de Elect., in 6.* — Secunda suspensio sumitur ex cap. Provida, de Elect., in 6, ubi per annum suspenduntur Episcopi, qui non servant constitutionem quamdam Concilii Lugdunensis, quae habetur in cap. Quamvis, eodem titulo, per quam prohibetur Episcopis, vel Archiepiscopis, ne in causis spectantibus ad electionem Episcoporum, postquam ad Sedem Apostolicam appellatum est, se intromittant, etiamsi partes ab appellatione voluntarie recedant, nisi prius facta diligentia eis constiterit nullam fraudem vel pravitatem in tali negotio intercessisse. Et quamvis in d. cap. Provida, non fiat mentio de Episcopis, sed de iudicibus inferioribus, ad quos via ordinaria talium negotiorum cognitio spectat, tamen ex multis circumstantiis constat illos iudices esse non posse nisi Episcopos, vel illis superiores, scilicet Archiepiscopos, Patriarchas, etc. Quos omnes hoc loco nomine Episcoporum comprehendimus. Assumptum patet, primo quia electio Episcoporum res est gravissima; unde causae pertinentes ad illam inter majores annumerantur, ut dicitur in dict. cap. Quamvis; ergo ordinaria de illis cognitio non potest nisi ad Episcopos pertinere, qui dicuntur inferiores iudices comparatione Summi Pontificis, post illum vero sunt superiores. Secundo, quia ibidem dicitur, hos iudices cognoscendo de his causis ad confirmandos et consecrandos electos procedere; at hoc Episcoporum munus est. Denique suspensio, quae ibi imponitur, solum est ab Episcoporum confirmatione, ac consecratione, quae suspensio in solis Episcopis locum habet. Unde est etiam considerandum, hanc suspensionem non incurri per violationem illius constitutionis Concilii Lugdunensis, donec ad confirmationem talis electionis, et

consecrationem sic electi procedatur. Unde, licet Episcopus post appellationem interpositam in tali causa cognoscat, praeter formam praescriptam in dicto cap. Quamvis, non incurret hanc suspensionem, donec confirmet electionem, et consecret electum, quidquid Angelus, et Sylvester dicant, quia praedict. cap. Provida, solum suspendit confirmantes, et consecrantes eosdem; non ergo cognoscentes de causa, si ad praedictos actus non perveniant, sed solum acta in tali causa erunt irrita et inania, ut in eodem textu dicitur. Nonnullam tamen dubitationem habet, an, si Episcopus confirmet, non tamen consecret, vel e converso, talem suspensionem incurrat; nam ibi uterque actus simul et conjunctim videtur postulari. Respondeo probabilem quidem esse hanc partem, nihilominus probabilius videri, quemlibet ex illis actibus sufficere ad suspensionem sibi proportionatam incurrendam, id est ab usu seu exercitio actus male exerciti, juxta regulam in eodem textu positam, *ut in eo, in quo peccaverint, puniantur*.

9. *Tertia suspensio in Episcopos alienantes Ecclesiae bona.* — Tertia suspensio sumitur ex cap. Hoc consultissimo, de Rebus Eccles. non alien., in 6, ubi suspenduntur Praelati Ecclesiarum, qui bona immobilia Ecclesiarum sibi commissarum laicis subjiiciunt sine consensu Capituli, et speciali licentia Sedis Apostolicae, nisi modo, et in casibus a jure permissis. Nam in primis tales contractus irritantur; deinde ipsi Praelati ab officio, et ab administratione ipso facto suspenduntur, et inferiores clerici a perceptione beneficiorum, quae in tali Ecclesia obtinent per triennium suspenduntur, si scientes aliquid contra illam constitutionem attentari, id superiori non denunciaverint. Quae suspensio annumerari poterat eis, quae tractatae sunt, sect. 3; huc tamen reservata est, quia est veluti annexa huic casui Episcopali, et non indiget alia expositione, nisi quod illi tunc incurrerent talem suspensionem, quando et sufficienter cognoverint delictum, et illud probare poterint, et sine magno incommodo, seu morali periculo alicujus gravis nocementi, illud poterint denunciare, juxta superius tractata in simili in disp. 20. Suspensio autem haec, quae Praelatis imponitur, non est triennalis, sed absolute fertur, ita ut duret, donec per superiorem tollatur. Est autem talis suspensio simpliciter ab officio, a beneficio autem non simpliciter, sed solum ab administratione

rerum temporalium talis Ecclesiae sic gravatae; ita enim moderandam censeo illam poenam juxta materiam subjectam, et regulam illius textus, et aliorum similium. Dico autem illam non esse suspensionem a beneficio, quia ibi non exprimitur clare, nec implicite continetur, juxta principia superius posita.

10. *An contrahant hanc censuram Praelati inferiores habentes quasi Episcopalem jurisdictionem.* — Dubitari vero hic potest, an soli Episcopi, et superiores illis contrahant hanc censuram, vel etiam inferiores Praelati participantes jurisdictionem Episcopalem, et habentes Ecclesias Capitulares, scilicet Collegiatis, vel regulares sibi commissas. Videntur enim etiam hic comprehendi, quia in eos conveniunt omnia verba illius textus, qui fortasse non sine mysterio usus est potius nomine Praelatorum, quam Episcoporum, ut hos etiam comprehenderet. Item, quia lex illa non minus erat necessaria his Praelatis, quam Episcopis. In contrarium vero objici potest, quia si suspensio illa communis est aliis praeter Episcopos, ergo non est propria Episcoporum; ergo cum in ea non fiat specialis mentio Episcoporum, non comprehendet illos, juxta cap. Quia periculosum, de Sentent. excom., in 6. Respondetur priorem partem sine dubio esse veram, ut probant priores rationes. Ad objectionem vero in contrarium respondetur negando sequelam, nam potius Episcopi primario ac per se illa lege comprehenduntur, inferiores vero Praelati quatenus munus Episcopale participant in administratione suarum Ecclesiarum. Unde, licet illa lex alios, qui Episcopi non sunt, comprehendat, non est ex illis generalibus legibus, de quibus loquitur cap. Quia periculosum, nam per se primo et quasi per antonomasiam est propria Episcoporum, licet communicetur aliis quasi per participationem, et analogiam quamdam.

11. *Quarta suspensio contra Praelatos occupantes bona Ecclesiarum vacantium.* — Quarta suspensio sumitur ex cap. Praesenti, de Offic. ordin., in 6, ubi suspenduntur Episcopi cum aliis inferioribus Praelatis, qui sibi usurpant sine justo titulo bona dignitatum, personatum, prioratum, vel quarumcumque Ecclesiarum vacantium, et ad ipsorum curam, seu provisionem pertinentium. Quem casum quantum ad inferiores spectat, supra, sect. 3, declaravimus; quantum vero pertinent ad Episcopos, si recte expendantur, non fertur ibi contra eos censura suspensionis, sed in-